



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

1 Quid sit divinæ scripturæ sensus, & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)



TRACTATUS PRIMVS.
DE DIVINÆ SCRIP-
TURÆ SENSU.

*Quid sit diuinæ scripturæ sensus, &
quotuplex?*

CAPVT I.



VM diuina scriptura, vt dictum
est, ordinata debeat esse Me-
ditationum nostrarum mate-
ria, & ideo, cognito eius sensu,
ea documenta ex illa haurire
debeamus, quæ eius auctor Spiritus sanctus
illi ad doctrinam nostram inclusit, vt affir-
mat S. GREGORIUS in moralibus his ver-
bis. *Quasi quoddam speculum mentis oculis
opponitur diuina scriptura, vt interna nostra
facies in ipsa videatur, ibi enim sæda, ibi pul-
chra nostra cognoscimus: ibi sentimus, quan-
tum proficimus; ibi docemur à profectu quam
longe distemus. Dum narrat gesta Sanctorum,
ad imitationem corda prouocantur infirmo-*

*rum. Dum illorum victricia facta commemo-
rat contra vitiorum praelia debilia nostra con-
firmat, necessarium est explicare, quid sit
sensus scripturæ, & quotuplex. Quod hoc
capite præstabo, illudq; in duas distribuam
partes. In prima docebo, quid vocabulo sen-
sus diuinæ scripturæ intelligatur. In secun-
da quot sint sensuum genera.*

PRÆTERMISSIS autem variis interpreta-
tionibus, vna tantum cæteris faciliore &
clariore, quæ à quibusuis commodè perci-
pi queat, ero contentus. Dico ergo, non esse
aliud, quam conceptum, quem **DEVS** scri-
pturæ auctor habet in suo intellectu. Itaq;
assequi sensum alicuius scripturæ loci, est
eandem eius habere intelligentiam, quam
habet **DEVS** ipse. Sic loquitur Apostolus ad
Corinthios scribens. *Non sensum Christi ha-
bemus.* quasi diceret, scripturam intelligimus,
sicut intelligit Christus. Et **S. Ioannes** Eu-
angelista. *Dedit nobis sensum, ut cognoscamus
verum DEVM.* alludens forte ad illud, quod
Luc. 24. **S. Lucas** refert. *Aperuit illis sensum, ut intelli-
gerent scripturas.* Dixi sacre scripturæ au-
ctorem esse **DEVM**, quia ita asseuerat Apo-
1. Tim. 2. stolus in epist. 2. ad Timotheum dicens: *O-
mnis scriptura diuinitus inspirata.* & **S. Petrus**
2. Pet. 1. in 2. epistola. *Non enim voluntate humana
allata*

allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt S. DEI homines. Qui sancti tantum fuerunt Spiritus sancti scribæ, & Secretarii, imo minus vt ex parte sua de se testatur propheta Dauid, vocans se calamum scribæ. Lingua mea inquit, calamus scribæ & velociter scribaris. Psal. 44.

QVOD ad alteram partem attinet, sensum sic definitum. dico diuidi in Historicum, vel literalem, & Mysticum, vel Spiritualem. Mysticus vero diuiditur in tres alios, Allegoricum, Anagogicum, & Tropologicum vel moralem. Verum de his non agam hoc loco: nam secundum illos meditationem instituere nimis arduum foret Tyronibus & Incipientibus. Literalis rursus solet diuidi in Proprium, & Translatum Proprius item in Primarium, & secundarium, de quibus omnibus differemus in capitibus sequentibus.

De sensu litterali Proprio.

C A P. II.

SCIENDVM est, ob vocabulorum inopiam, rerumque significandarum copiam, veteres vno eodemque vocabulo res varias propriè appellasse, significatu partim primario, partim secundario.